

*contrah. emt. l. 16. C. de jure delib.* dominus loci, si inferens ad pretii illius solutionem se praebeat paratum, compelli potest ad vendendam istam loci portionem, ad vitandam omnimodo corporis sepulti inquietationem. Sicuti ex eodem quoque fundamento ad viam, quae sepeliens opus habet, Vicinus à Praefide cogi potest pro justo praestandam pretio *l. 12. §. de Religios.* Sed in praedictis directa locum occupat actio, utilis etiam datur adversus eum qui in arcam lapideam alienam mortuum intulit *l. 7. §. d. t.* Annotatione insuper hic dignum judico, hanc actionem cuique jus prohibendi habenti praeter b. f. possessorem *l. 2. §. 1. §. de Religios.* competere. An autem socius contra socium, quem sine consensu alterius mortuum inferre non posse antea demonstratum, hanc actionem instituere possit propter apparentem textuum contrarietatem nondum firmiter decisum dici potest. Negare id videtur *d. l. 2. §. 1. in fin.* affirmare e contra *l. 6. §. 6. §. commun. divid.* In affirmativam descendere mallet cum Trebatius & Labeone Ictis. Commotus non modo *d. l. 6.* expressa, sed exinde praecipuis, quod nullam in jure nostro positam reperire habeamus diversitatis rationem, quare socium ad hanc actionem tanquam incapacem admittere non debeamus. Cum socius neglecto sociorum reliquorum consensu aequè pro extraneo sit habendus, ac usufructuarius respectu proprietarii aut contra, consensu alterutrius omisso. Ubi itaque eandem obtinere juris rationem videmus ibi etiam nobis invitis eadem locum habere debet juris dispositio. Neque dicta *lex 2.* tantum roboris habet, ut me in negantium castra transfugam efficere valeat, cum ex ea nondum colligere potui Ulpianum negare socio competere hanc in factum actionem, sed potius quod iudicio communi dividendo agere possit, quò id, quod ipsi abest, aut si damnum aliquod in re communi datum factumque sit, sepulchrum constituens resarcire debet *l. 3. §. commun. divid.* Non tamen exclusam in factum actionem, cum actio communi dividendo quandoque fortassis conducibilior esse possit. Sic in *l. 39. §. pro socio* Pomponius socio largitur actionem pro socio Quis autem asserere auderet, Ictum ibidem eò ipso quod illam socio tribuit actionem pro socio, exclusam voluisse in factum actionem? Parili ratione etiam mentem Ulpiani existimo explicandam